


V d
67



n. 50

1. 63





ORATIO
IN SOLENNI INAUGURATIONE
SERENISSIMI
CAROLI

REGII Poloniae & Electoralis Saxoniae PRINCIPIS

INDUCEM
CURONIAE ET SEMIGALLIAE

Nomine Collegii Nobilium Varfaviensis
apud *Scholas Pias*

A MICHAELE COMITE VANDALINO MNISZECH

Supremi Praefecti Cubiculi Regii M. D. L. Filio

HABITA

Anno M. DCC. L. IX.

Typis Varfaviensibus S.R.M. & Reipublicae in Collegio
Scholarum Piarum.







Non minus feliciter, quam provide, divino quodam afflatu & instinctu factum est, PRINCEPS SERENISSIME, ut solenni * lege Comitiorum Pacificationis, complures ante annos sancita, sic decerneretur: *post decessum nempe Familiae Kettlerianae, Principatum Curoniae & Semigalliae UNI ALTERI à Rege conferendum esse.* Istud sane *Uni Alteri*, non sine sacro quodam mysterio, non sine cujusdam vaticinii genere positum jam tum, mihi fuisse videtur. Ita nimirum iis jam Comitibus & Republica Tuae, PRINCEPS, praesentis fortunae fundamentum jecisse, & mentes hominum aliquid de hoc honore ornamentisque Tuis praesagisse, ac quodammodo vaticinatae esse, & Providentia Divina secreti sui consilii altitudine rem disposuisse eminus, mihi omnino videntur: quatenus & Tu PRINCEPS CAROLE interea adulesceres, & res omnes ita verterentur: ut tandem nunc post an-

A 2

no-

* *Vide Constit: Comit: Regni Varsav. Anni. 1736. Vol: 6. fol. 664.*

norum duorum supra viginti seriem, post tot temporum rerumque vicissitudines, id evolveretur, id palam fieret, id constaret omnibus, te fuisse & esse *illum Unum*, quem elegerit DEUS OPT. MAX. in cujus manibus sunt omnium jura, potestatesque Regnorum, & quem sub hoc aenigmate legis, *alii Principatum Curoniae conferr*i jubentis, ad regendum Curoniae & Semigalliae populum praesignavit. Itaque dum ex auspiciato hoc rei pulcherrimae eventu, nobis innotescit caelestis Providentiae ordo, dum, quod felix faustumque sit, DUX Curoniae & Semigalliae inauguraris; adoramus inprimis illud ipsum, Dei ita suaviter fortiterque omnia ad suum finem disponentis Numen: deinde Tibi, PRINCEPS SERENISSIME, maxima gestientium animorum significatione Principatum hunc gratulamur, Teque summa contentione votorum prosequimur. Non gravatim enim feres, PRINCEPS REGIE & DUX SERENISSIME, inter tot populorum acclamations, Collegii etiam hujus Nobilitate Polona Lithuanaque frequentissimi, Tibi gratulationem exhiberi, & patere quaeso, ut tot Parentum optime de Te mereri cupientium filii, sua etiam in Te studia & officia palam faciant, patere, ut omnes quotquot hic in aliquam spem Reipublicae educamur, maximū institutionis nostrae fructum, scilicet amorem, observantiam, & obsequium in Principem, Regiamque Domum, Tibi testata faciamus. Quantumvis enim nos immaturos aevi, inexpertosque Reipublicae spectes, tamen hoc loci, vel ab ineunte aetate, à Viris his, qui educationi nostrae navant operam, ad Rempublicam quandoque capeſſendam ita in-

stitui-

stituimur, ut ea, quae publico Patriae bono commo-
modoque fiunt, vel inde jam à teneris unguiculis
minime ignorare sinamur. Itaque etiam in so-
lenni hac Tui, PRINCEPS, in Ducem Curoniae
& Semigalliae inauguratione, veluti in re omni-
um clarissima & evidentissima, quantum boni com-
munis, & Reipublicae, & Curonum, situm sit, non vi-
dere non possumus. Id quod & ego ipse mihi
tota hac oratione persequendum suscipio: Te ni-
mirum PRINCIPE, Te DUCE Curoniae & Semi-
galliae renuntiato, nihil rationibus Reipublicae Po-
lonae accommodatius, nihil rebus Curonum opta-
bilius accidere potuisse, ut iisdem causis, quibus
publica felicitas & laetitia constat, mea etiam ora-
tio & gratulatio innitatur.

Rempublicam dum dico, illud utique intelli-
gi volo, sive eam universam in suis spectemus or-
dinibus, sive unumquemque ordinem sejunctim
consideremus, nihil sane rationibus tam univer-
sim, quam sejunctim sumptae Reipublicae accommo-
datius accidere potuisse, quam quod sic PRINCEPS
REGIE rerum Curoniae potitus sis.

Haeserat nimirum hucusque infortunio alie-
no, aut certe quodam potius, ut ego opinor, Tuo
Curonumque fato, haeserat suspensa quodammo-
do Reipublicae auctoritas, non modica, ut videbatur,
cùm supremæ potestatis injuria, tum etiam Prin-
cipatus ipsius discrimine. Lex quidem erat lata,
sed si de qua alia id unquam dici potuit, haec pro-
fecto lex erat inauspicato lata, Diis ipsis, si Latio
more loqui fas est, obnunciantibus. Adeo ma-
jor semper humanis est, sapientia & vis decreto-
rum

rum coelestium. Jam igitur, quid nunc aut optabilius, aut faustius evenire potuit Reipublicae, quam sublatis gravibus obstaculis, omnibusque praepedimentis, illam suam Comitiorum Pacificationis legem, propositum sibi ab Ordinibus feliciter, certoque, nunc primum consequi finem? & suum tandem fortiri effectum? Sentit nimirum bene Polona universa Respublica, rem suam agi, suis decoribus rationibusque prospici: dum statuta & sancita illius, non inutilia, non inania, non dubia sunt, sed executioni, ut par est, demandantur. Si nihil jam aliud Respublica boni referret, collato isto Tibi DUX Amplissime, Principatu, id permagnum, id longe praecipuum bonum censendum est: legem publicam finem suum assecutam esse, voluntati, mandatisque Ordinum plane satisfactum obtemperatumque esse. Jam itaque Curonia, de dititia Regibus & Regno, illustrisque Provincia, ex exterorum non pendet arbitrio, libera est, neminique obnoxia, Principi legitime instituto obaudit, exercitusque est inspectante Europa supremi domini usus. Ampla haec & honorifica omnia sint oportet Reipublicae.

Sed minusne illi de rebus Curonum suorum sollicitae, gaudii laetitiaeque adfert? anarchiae cui-dam, querelis, turbulento statui, omniumque rerum perturbationi, in inclyto hoc Principatu, finem esse impositum? fiduciarias Provincias, luctum tam longae tristicque orbitatis exuisse? Curoniae internum ordinem, tranquillitatem, justitiam, jura omnia restituta esse? Ingenti aeris alieni onere, quo bona Ducum obaerata fuerunt levare, penitus-

nitusque liberari provinciam? bellica Regno nostro innovari stabilisque subsidia? Haec enimvero emolumenta tanta sunt, nihil ut fere illis Reipublicae utilius, jucundiusque accidere his temporibus possit.

Quid quod eadem videt, ex amplo opulentoque Curoniae ac Semigalliae Ducatu, non jam adventitios quosdam homines, sed Regis sui Patriaque Patriae caram Sobolem fructum capere? Regiae Familiae tam insigne incrementum accedere? patrimoniumque Illius augeri? Fuit, fuit haec semper Gentis Polonae gloria, ut Regum suorum amantissima, Principum suorum sanguini longe addictissima, atque commodorum Proles Regiae studiosissima, & esset, & existimaretur. Equidem post decessum Regum suorum, liberis suffragiis electurus sibi Principem Polonus, Regalis stirpis primam rationem habere amat; adeo quidem, ut ejus vel augustas reliquias praesertim Jagellonicae Gentis, etiam ultra maria, & in externis quaesierit solis. Brevibus: Polonia, Regum suorum Domusque regnantis fortunam, suam facit. Itaque & nunc res Vestras, PRINCIPES, tantopere cordi habet, ut, quod olim apud Romanos de Drufis claro Caesarum sanguine dictum erat, id de Vobis sentire & dicere Poloni consueverimus: *Ita nati estis ut bona malaque vestra ad rempublicam pertineant.* Quidni igitur illa, tanquam communis jam Vestra nobiscum Patria, hac Tuae accessione fortunae laetetur? quid non majorem in modum exultet?

At

At enimvero jam ne maximum primoque loco ponendum ex hac Ducis Curoniae institutione emolumentum transfiliat oratio mea, ad religionem animum advertamus. Cujus unius rei gratia, Ecclesiam, Sacerdotium, Christiana Imperia & Regna, totam qua late patet Christianam Rempubli- cam, illiusque imprimis Caput & Arcem Romam orthodoxam, orthodoxae Poloniae congratulari necesse est, & de hac jam antiquius rei Catholicae cum rebus Domus Saxoniae jugi conjunctione, & nunc iterum de novo isto splendore, qui religioni, in Catholici PRINCIPIS Curoniae Persona accedit. Equidem, inclytus Curoniae Dux pro publica & privata fide, pro pactorum subjectionis, pro privilegiorum Nobilitatis, pro formulae regiminis, ratione, Curonibus, Confessionis (ut vocant) Augustanae, jura facta tecta omnino & inviolabiliter, ut par est, servabit; semper tamen Reipublicae Christianae, nominique & rei Catholicae perhonorificum erit: Maximum Principem verae religionis luce, in illis Provinciis clarescere, principatuque potiri.

Haec jam quae duntaxat attigimus, emolumenta, ita communia omnibus statibus Regni sunt, ut ad universam Rempublicam merito spectare videantur. Quod si ea etiam sejunctim considerare velimus, quae Regi Potentissimo, quae Senatui, quae Equestri Ordini, propria sunt; plurima profecto videbimus, laetitiae, honoris, amoris Patriae, justique aequique argumenta.

Habet enimvero REX AUGUSTUS, optimus Parens, optimusque Princeps, quibus inde pro
Patris

Patris aequae ac Principis ratione laetetur. Ego profecto sic mecum ipse reputo: fortissimum hunc, piissimum, & religiosissimum Regem, maximum in toto continuo adversis rebus reperire solatium, dum recogitat Augustae Proles suae bona, atque incrementa. Seu enim Illi cogitanti occurrat Filiarum una, utriusque Siciliae Regina, seu altera, solio Galliae proxima, seu illud arctissimum in mentem veniat vinculum, quod Bavariae Electorem inter, & Regium Principem Electoralem, ex Sororum reciproco matrimonio intercedit; laetissimam rerum faciem ipsius animo obversari necesse est. Quidni recenti etiam isthac accessione fortunae in Principis CAROLI Persona laetetur? praesertim cum id novissimo argumento esse videatur, DEUM OPT. MAX. super Regiam Ipsius Familiam, uberem suae liberalitatis fontem effudisse, adeo, ut quod jam cum aliis praeclare factum videmus, cum aliis propediem factum iri, optandum, sperandum, expectandumque sit.

Haec Parentis Sanctissimi gaudia de prosperis Regiae Proles suae successibus, excipiunt alia, quae ipsi ut Principi Optimo, bonique subjectorum sibi populorum amantissimo sunt propria. Gaudet enimvero se adeo praeclare rationibus Republicae, honori, dignitati, securitati, tranquillitati, in primisque Religioni consuluisse, gaudet pro Regia clementia sua, se afflictis Curonum rebus succurrere potuisse, gaudet praesentissimum se illis praesidium, decus, & splendorem adtulisse.

Videamus jam illa, quae hac in re Senatus proprio jure sibi vindicat. Atque hic merito ho-

B

noris

noris gratia commemorandum mihi est, honorificentissimum illud Senatusconsultum, quod frequens Senatus ad diem septimum Idus Novembris faciendum putavit. Meminimus, meminimus, nam & adfuimus, & oculis atque auribus usurpavimus, quam graves in Senatu sententiae dictae fuerint, quam illae amorem Regis, amorem Regii Principis, legum Patriarum & boni publici undequaque spirarint, quam provide Patres Conscripti pro munere Custodum legum censuerint: ultro se se offerentem occasionem captandam esse, ad exequendam Comitiorum Pacificationis legem, quam sapienter vim mentemque Comitiorum illorum, sane in praesentiarum accipiendam intelligendamque senserint, quam opportune, juxta teseram sacrumque symbolum amplissimi Aquilae Albae Ordinis pro Fide, Rege, & Lege, rem gesserint. Haec tota laus quanta quanta est, quae certe maxima est, tota inquam & integra, Amplissimi Senatus est.

Jam autem ea, quae Equestrem Ordinem pro sua parte spectant, licet ex iis, quae hucusque à nobis delibata sint, satis intelligantur; tamen ad decus Ordinis hujus sempiternum vel innuere juverit: quod videlicet illius jura non solum facta tecta conservata sint, sed etiam maximum illis robur, dignitas, & decus accesserit. An enim res haec tota non illius Ordinis auspiciis geritur? an negotium hoc universum non constitutioni decretoque Comitiali amplissimi Ordinis hujus, tanquam verae & unicae basi suae innititur? an non lex à Provinciarum Legatis concordissime perlata, frequentibusque

Comiti-

Comitiis Pacificationis renunciata executioni demandatur? quis itaque non intelligat, quis non videat, planeque sentiat, jura hujusce Ordinis, auctoritatem, & gloriam in implenda celeberrima ejus lege potissimum verti?

Sed enimvero jam ne in inensum excreseat orationis moles, quamvis haec ita brevibus de Republica, de Rege, de Senatu, de Equestri Ordine, summa duntaxat rerum attigerimus capita; nihilominus ex iis, quae si non pro rei dignitate, certe pro veritate diximus, colligere ac judicare licet: quantum intersit Reipublicae, quanto ejus bono sit, quamque rationibus illius accommodate id evenerit, TE PRINCEPS, Ducem Curoniae felicissime renunciatum esse. Ut vero palam sit, quantum idem intersit fortunatae Curoniae; jam alterum illud videndum nobis est, quod initio dicendi proposui: TE nimirum, PRINCEPS REGIE, Duce Curoniae Paternis inaugurato auspiciis, nihil rebus Curonum optabilius accidere potuisse.

Hic vero quam interminatus campus laudum PRINCIPIS & felicitatis Curonum sese mihi aperit, ut nisi ego illum certis terminis definiam, nisi me intra cancellos quosdam contineam; nae ego in hac rerum dicendarum copia, varietate, numero, tanquam in labyrintho errem, nullum orationis exitum nullumque dicendi finem inventurus. Quare parces PRINCEPS REGIE, universas laudes tuas me pro dignitate celebrare non posse, magnitudinique rerum Tuarum potius, quam voluntati meae id tribuendum judicabis. Parcent fortissimi Viri Cu-

rones, nulla me posse reperire verba, quibus beatam illorum sortem satis enarrare, illisque gratulari valeam. Ne tamen hac in re etiam desiderari officium meum patiar; id saltem expendisse iuverit: quantum ex hac Tui PRINCEPS in Ducem Curoniae creatione, & praesidii rebus Curonum, & ornamenti accesserit.

Quid enim in primis secundum Deum majori Principatui huic praesidio esse possit, quam potentissimorum Imperatorum Regumque benevolentia, fides, & societas? Jam palam est omnibus, quanta summorum imperiorum & regnorum gratulatione, Ducatus Curoniae & Semigalliae PRINCEPI CAROLO delatus est. Compertum est, quam vicinis remotisque Principibus, promotoribus aliis, aliis fautoribus, auctoribus aliis, omnibus comprobantibus, prout quisque necessitudine amicitiae aut sanguinis Domui Saxonicae obnoxius, res haec tota acta, peractaque sit, & procul dubio communi generalis pacis, (ad quam tantopere mortales fere omnes bello fessi aspirant,) foedere prout fas est, certoque sperandum est, asseretur.

Jam in eo ipso quantum Curonum commodi situm sit, dum atrocissimum tot annorum interregnum, quod utique rebus Curoniae non noxium esse non potuit, sublatum est? dum ad eos imperium, & regimen, & cum his ordo, pax, tranquillitas, securitas, opes, fortunae, bonaque omnia quasi postliminio redeunt?

Haec omnia optatissima quidem juxta ac prosperissima Provinciae in fide ac clientela Reipublicae sancte permanenti evenerunt; sed quid jam Perso-

na

na ipsa Ejus PRINCIPIS, à quo regi gubernarique, si multis aliis contingeret populis, maximi beneficii Divini loco id sibi certissime reputarent. Cui enim praestantissimae Ejus, cum ab optima natura & indole, tum à diligentissima educatione profectae, exemplisque Paternis ac Maternis corroboratae virtutes: religio in primis, fides ac pietas, cui justitia, clementia, facilitas, comitas, fortitudo, beneficentia, prudentia, caeteraeque Regiae Illius, nec non vel magno quovis Imperio dignae dotes, ignotae sunt? Quod si PRINCEPS CAROLE eas coram Te solo Tua celet modestia, illas ut in Te, Tu ipse agnoscere nolis, hoc ipsum quidem perquam laudabiliter facis. Ita facere optimis quibusvis Principibus solenne est: ut si vel verissimas suas laudes celebrari fortasse audiant, iis non quales sint dici, sed quales esse debeant, optari, existiment, & laudationem, quam merentur, pro incitamento duntaxat ad optima quaevis, stimuloque accipiant. Sinamus jam & nostrum PRINCIPEM, ita cogitet, ita faciat, tanto melior, tanto populis gratior, tanto erit illustrior.

His tamen regalibus, quae clarissime in Eo elucescunt, ac è mente hac excelsa radiorum instar diffunduntur, virtutibus, id profecto effectum jam est, ut DUX CAROLUS, (postquam iis plane jam sibi devinxisset mentes omnium Polonorum, quorum & Patriis moribus, & in primis Patriae linguae, quo gratiorem se illis redderet diligentissime ediscendae incubuerat;) tandem è Polonia in Russiam auspicato profectus, sibi incredibiliter concilia-

ciliarit animum ac benevolentiam AUGUSTAE ELISABETHAE Rusorum Imperatricis, qua potentissima Principe, uti nihil aut natura humanius & augustius, aut Imperatoriae Regiaeque virtutes absolutius, aut gloria sublimius effinxere; ita ab ea Regium nostrum tantopere aestimari ac coli Principem, nihil Illi magis amplum, honorificentius nihil accidere potuit; his inquam praeclarissimis Ejus dotibus effectum est, ut Idem gratissimus Petrópoli hospes Amplissimis Russici Imperii Administris, Proceribus ac Primoribus, summae estimationi venerationique fuerit, & vel in ipso per Curoniam itinere, Curonum animos, in sui amorem & admirationem pertraxerit, adeoque illos sui desiderio inflammavit, ut sollemni ad Regem legatione id sibi unice expetendum judicaverint: quo praestantissimi PRINCIPIS hujus imperio quodammodo bearentur.

Felix profecto Curonia, quod tantum PRINCIPEM apud se vel hospitem habuit, felicior, quod depoposcit, felicissima, quod obtinuit. Quorum illud fortunae Curonum adscribendum, istud meritis Tuis adjudicandum, hoc bonitati AUGUSTI REGIS, in acceptis referendum est. Maximum sane bonae voluntatis eorum, & fidelitatis, testimonium, & praemium, in quo certe non minus virtus Tua, quam eorum fortuna celebrari merito debeat. Et ea quidem Curones digni profecto Diis, hominibusque videntur: Gens enim est, Viris honestissimis & fortibus jam dudum & hodie refertissima, ac undequaque commendatissima.

Quodsi

Quodsi jam tantum PRINCEPS à Tua virtute praesidii; quantum à claritudine Augustae prosapiae Tuae ornamenti illis allatum sit; pluribus, me id persequi superfluum omnino existimo. Certe ad ostendendum quam multum dignitatis accrescit Curoniae, è PRINCIPE Regiae Domus, minime quidem opus est, nulli Regum secundae Familiae Tuae, vetustatem, splendorem, & decora recensere, longamque Avorum & Atavorum seriem pertexere, id quod in privatorum laudibus usu venit. Quippe Regum Principumque uti res gestae, ita & genus neminem latere possunt. Haec ab omnibus ediscuntur, haec memoriae mandantur sempiternae. Palamque est: maximum PRINCIPEM, maximorum Imperatorum Regumque Stirpem, Ducem Curonibus divinitus datum esse. In conspectu Europae, orbisque universi est, eam esse Domus Saxonicae amplitudinem: ut & jam in Ottonibus Henricisque occupaverit, & nunc occupet, & occupatura sit primos Europae thronos: eam esse AUGUSTI PATRIS numerosa prole beati propriam gloriam, ut ipse PATER, atque REX, & regnare jam, & regnatos olim videat natos suos, & natos natorum & qui nascentur ab illis.

Nec Tibi principatus deesse poterant, ut fortunate cum eo actum esse videatur, non qui Tibi, sed cui Tu obtigisti. Illud tamen ex praeteriti memoria temporis repetere mihi liceat, quo & Dominiae rerum humanarum providentiae ratio, effectum ipso, tanquam certissimo argumento, nobis innotescat, & oratio mea sibi constare videatur. Nempè jam inde ab annis centum nonaginta &

octo Principatum istum Tibi quodammodo fuisse destinatum, observari merito potest. Quis enim ille fuit cujus bellis, auctoritate, auspiciis, Curonia vindicata, asserta, & in principatum erecta est? fuit sane Magnus ille Sigismundus Augustus, ultimus è Gente Jagellonica Poloniae Rex, Deus quidam regni tutelaris, & in Rempublicam beneficentissimus. Quid proinde aequius, quid justius, quid convenientius, cogitari potest? quam ut Tu PRINCEPS, qui ejusdem Jagellonici sanguinis, & ejus meritorum de Republica es haeres, Principatu isthoc tanquam re & beneficio Jagellonico, tanquam mercede aliqua nemini magis, quam Tibi debita potiare.

Id quod uti cum permagna voluptate animi observandum venit, ita maximopere laetandum, gratulandumque est Tuis praesertim Curonibus, quibus tamen adhuc non minor ex incredibili fama meritorum Tuorum, quam ex Gentilitia hac Personae Generisque Tui dignitate ornamenti fit accessio.

Enimvero non contentus majorum Tuorum parta pace, & bello gloria, ipse artibus belli & pacis instructus ut qui maxime, aemulandam Tibi, augendam atque amplificandam, quâ toga, quâ sago, Domesticam Augustorum Atavorum Tuorum famam suscepisti. Utpote qui eam duntaxat propriam laudem Tuam ducis, quam Ipse Tibi propriis rebus gestis comparaveris.

Sed enimvero bellicae Tuae laudes totam sibi orationem vendicant, adeo quidem ut exigua ejus parte pro dignitate comprehendi non possint;
cum

eum vero omnium gentium & nationum ore atque linguis celebrentur, nobisque ipsis vel ex publica fama notissimae sint; saltem de illis innuisse aliquid liceat. Quis enim PRINCEPS Tuam rei militaris scientiam aut praedicare aut demirari satis possit? qui altero abhinc anno, bello maximo ad militiae disciplinam profectus, non alienis praeceptis, sed Tuis imperiis & fortissimi militis, & Ducis strenui, partes omnes executus sis, qui Ducibus praesentissimo semper & saluberrimo consilio, (quod utinam semper apud eos valuisset) praesto fueris, qui semel atque iterum dubiis fere rebus cum lectissimorum militum manu, qui Te sequi amabant, rem in integrum restitueris, quod tot praelia, quibus omnibus virtus & fortuna Tua adfuit, abunde testantur. Quodsi non semper partes Tuas victoria secuta est, neque enim in unius semper virtute, consistere victoriam, certum est. Quis porro satis verbis exprimere valeat intrepidum illum Tuum periculorum contemptorem animum? quis laborem in negotiis, fortitudinem in adversis, modestiam moderationemque in prosperis, industriam in agendo, consilium in providendo persequatur? Quis & in arctissima illa obsidione Pragensi, & ubique locorum, misericordiam & beneficentiam Tuam erga saucios laborantesque milites, dignis efferat ornetque praconiis? Jam his ipsis rebus tantam Tibi benevolentiam, tantam etiam auctoritatem peperisti; ut milites Te unum in ore haberent, Te sequi, Tibi obtemperare percuperent. Praesertim quod primus te flammis telisque objiceres, adeo ut si for-

C

tasce

tasse in conflictu ardor militaris Te longius pro-
vexisset, Tuique, Te, inter milites quaerent, re-
spondebant isti: Te, ibi quaerendum esse, ubi ma-
xime fereret praelium, ubi ignis, ubi globi, ubi
summa vis belli ingrueret, ex hac existimatione
Tui, fiducia in Te militis, è fiducia, magna quae-
dam, Tibi apud omnes auctoritas orta est, praeser-
tim cum & singularem felicitatem, Te ubique co-
mitari, cunctorum, haec de Te esset opinio. Ex-
tot enim tantisque periculis, quibus Te ultro, in-
genti pro Te trepidatione omnium, ingessisti,
dum qui circa Te erant, passim prosternerentur,
Te unum sospitem, incredibili omnium laetitia,
evasisse, quis non summae fortunae esse censeat?
E parte vero Tua, saepius stetit victoria, Tu-
oque ductu, prospere res gestae, Tuam felicitatem
non minus probant. Haec porro quatuor, cui in-
sunt, ut Tibi inesse vidimus: scientia videlicet rei
militaris, virtus, auctoritas, & felicitas; ille pro-
fecto, praestantissimam rei militaris gloriam conse-
cutus fuisse, censendus est, clarissimusque impera-
tor, merito haberi debet.

Cujus quidem gloriae, socium habuisti, SE-
RENISIMUM Fratrem Tuum XAVERIUM, ut
nostra quoque tempora in Vobis conspexerint, ge-
minos, duo fulmina belli, Scipiadas. Sed in uno
exercitu, angustum theatrum gloriae Vestrae fuit,
adeo ut Tu inter Russos, Frater Tuus inter Gal-
los, praeclare & fortiter factorum fama, ipsimet Vo-
biscum certaretis. Utinam vero aut per fortu-
nam, aut per aetatem, suprema Vobis contingere
potuissent maximarum copiarum imperia; Ii her-
cule

cule estis, cum quibus hostem quidem Vestrum, sed eundem (laudanda enim virtus & in hoste est) Imperatorem maximum, experiri vires non poeniteret. Fecere quidem plus Vobis & Pompejus duodeviginti annos natus, & noster Boleslaus, illo etiam aetate minor; & sciretis, & possetis, & fecissetis tantundem. Si parium exercituum copia Vobis esset; nos Pompejos & Boleslaos haberemus. Sed quo me orationis torrens abripit? Non ne ego initio merito subverebar, me in tanta rerum dicendarum multitudine erraturum, imo ea obrutum iri, nisi modum omnino teneam, ad finemque dicendi, nolens, volens, maturius properem. Quare haec ita de virtute Tua bellica, PRINCEPS CAROLE, non gloriae Tuae augendae, sed ornamentum fortunaeque Curonum declarandae gratia, dixisse sufficiat.

Et Respublica jam itaque universa, cuius rationibus bene adeo consultum est, cumque Rege suo ac Parente optimo Amplissimus Senatus, Clarissimus Equester Ordo, & simul Curoniae ac Semigalliae, fortissimae fidelesque Provinciae, quae tanto divinitus donantur, ornanturque PRINCIPE; animis gestiant, exultent, plaudant, sibi que de tanto bono invicem gratulentur: atque prospera omnia de Te, magnanimo, forti, pio, iusto PRINCIPE ominentur. Ex iis profecto quae de Te celebrantur ac praedicantur, praevidere jam & inferre omnibus pronum est: antequam regeres, quomodo rectorurus sis. Isthac praeclara de Te iudicia, omniumque spes summas, mirum quantum stabilit, haec Te digna, in qua manes, sententia, quae, in Temet qualis

Ms 67 OK

lis sis, futurisque semper sis, clarissimum praebet testimonium: in qua vivam Tui ipsius, Tuae mentis, & animi, vitaeque Tuae imaginem, ipsemet egregie, brevibusque expressisti. Verba quippe Tua sunt haec, tum saepius dicto, tum nuperrime etiam scripto, familiaribus Tuis notissima, ac celebratissima: *Officiis Viri honesti implendis me semper dedidi: nomen Viri honesti, carius mihi est, Ducis, Principis, & quovis augustiore alio.* Quid jam à Principe, eodemque honesto Viro, omnibus expectandum, sperandumque certo sit? cuius palam est. Adeo ut fatendum omnino sit: Te esse unum ex illis, quos communi bono humani generis natos esse, dicere necesse est, quos DEUS OPT. MAX. identidem, veluti suae erga genus humanum providentiae certissimum pignus, eidem largitur. Ut proinde communis boni gratia, optandum jam nunc merito sit, quodque jam praecipuum, accomodando nostra ad aras, votis publicis, Tibi, Regiaeque Tuae Domui, exoptamus: ut è pari auspiciatoque connubio, dent ad multa saecula boni Superi, Divi AVI Tui, AUGUSTI Patris, & TUI similes, Curonibus & Semigallis DUCES.



m. c.

X 2311 916



H. 50, 31

V 2
67.



ORATIO
IN SOLENNI INAUGURATIONE
SERENISSIMI
CAROLI

REGII Poloniae & Electoralis Saxoniae PRINCIPIS

INDUCEM

CURONIAE ET SEMIGALLIAE

Nomine Collegii Nobilium Varfaviensis
apud *Scholas Pias*

A MICHAELE COMITE VANDALINO MNISZECH

Supremi Praefecti Cubiculi Regii M. D. L. Filio

HABITA

Anno M. DCC. L. IX.

Typis Varfaviensibus S.R.M. & Reipublicae in Collegio
Scholarum Piarum.